

Edition

Gotha, Forschungsbibliothek, Cod. Memb. II 189, fol. 1^r–5^r

⟨DE FIDE⟩

...

- f.1^r homines servare noluerit, cui in aliis infidelitati
 parcere non licet?^a Fides enim apud quemcumque vel contra
 quemcumque violata non tantum ad personam patientis quantum
 ad auctorem respicit corrumpentis. Sicut enim fides
 5 contra divitem pauperum, magnum parvum, fortem inbecillem
 et, ut totum breviter complectamur^b, virum et feminam, Christianum
 vel paganum servata fides integra est, ita contra quemlibet
 illorum violata, in quantum corrupta est, in tantum omnino
 amissa esse dinoscitur. Et ut adhuc plenius, quod dicimus,
 10 intellegatur, summopere considerandum est, quanto se discrimini
 tradat is, qui se suosque omnes apud externos per turpissimam
 infidelitatis infamiam notabiles^c reddit et sibi subditos
 fidem non servando infideles gementes nimiumque
 dolentes esse compellit, quia sicut dicente apostolo
 15 non potest esse *conventio*¹⁹ *luci* cum *tenebris*, *Christo* et
Belial, ita nec fidelitas cum infidelitate societatem
 habere ullo modo potest. Memento, quæso, quid Iosue cum senioribus
 Israhel fraude Gabaonitarum deceptus fidem servando fecerit²⁰
 et quomodo David propter initum foedus cum Ionatha ceteris ad vindictam
 f.1^v20 datis Mifiboseth pepercerit²¹ vel qualiter Salomoni
 in extremo vitæ suæ tempore contra Abner et Amasan
 corruptam fidem in^d Ioab^d per^e sententiam^e mortis vindicare praeceperit²².
 Si enim in ipso poene^f articulo mortis suæ iniustam contra

a) Fragezeichen Hs. b) aus completamur verb.Hs. c) notabilis Hs. d) aus inoab verb.Hs.
 e) aus pertentiam verb.Hs. f) so Hs. wohl statt paene

¹⁹) Vgl. 2. Cor. 6, 14 f.

²⁰) Vgl. Iosue 9, 21 f.

²¹) Vgl. 1. Reg. 18, 3; 2. Reg. 21, 7.

²²) Vgl. 3. Reg. 4, 5 f.